Quaestio medica quodlibetariis disput. discut.da in Scho. Medic.rum die Jovis 14 Janu. D. Nicolao Jabot D. M. prudentiss. mod.re

Soluitne famem Meri Potus?

Nostrum corpus triplici substantia constat solida, fluida, et spirituosa quarum perdendis jactura nisi reparetur, reponaturque aliquid in locum deperditi, protinus animal interitus excedit, quia calor edax semper ipsum poterit conficere, quotidie triplicis spiritus dissipati reparant vapores sanguinis, et aer inspiratus, solidam siccum, humidam fluidum alimentum triplici coctione prius immutatum: ventriculi enim calore primum vertitur in chylum quo ventriculus nutritur, hepar mesenterio venarum manu chylum traxit, et suo parenchymate in sanguinem 4 humores complexum ab eo, et eodem calore convertit, qui a maioribus venis ad minores transmissus, unde venis instar roris effluxit, apponiturque parti nutriendae, agglutinatur, assimilatur.

Depletae partes ut repleantur alibilis succi portionem naturae suae convenientem ea consecutione alliciunt, ut venae minores a maioribus, maiores ab hepate venam uti ex fonte hauriant: sanguificum hepar, chylificum ventriculum sollicitat, ut naturam suggerat, quam per mesenterii venas exsugit, quo quidem suctu divulsus ventriculus in sedis sensum totius corporis alimentum appetit. particularis enim itaque naturalis sensus indigentiae singulis partibus non aliter, quam plantis congenitus est, sed animalis in stomacho sedem habet, qui dum sugitur ventriculus per nervos sentit partium omnium indigentiam appetitque, toti, non sibi appetitus fluidi sitis, sicci fames appellatur.

Appetitus non tantum aboletur, minuitur et depravatur sed laeduntur tam animales, quam naturales functiones, sed etiam maximo naturae detrimento supra modum augetur. aboletur si corpus minime ~~[illegible]~~ exinanitum, proindeque ventriculus non sugatur saltem suctionem non sentiat, aliquando humoris aut frigoris exsuperantia. quibus causis ipsis remissioribus minuitur, depravatur acribus salsis, aut quovis modo corruptis humoribus, sive sint illi ventriculi tunicis impacti, sive capacitate continentur ut in pica malum gravidis familiare per primis gestationis mensibus. appetunt enim aliena humori putri analoga.

Intendi solet appetitus vacuationibus immodicis, sive ex ventriculi imbecillitate alimentum defluat, sive immodico calore resolutum expiret: saepius tamen frigore stomachi intemperies scilicet aut nudâ aut cum materiâ nempe acido humore coniunctâ. dignoscitur intemperies nuda alui profluvio multâ et cruda, materialis acido ructu: quibus causis quantumvis ab initio aucta appetentia desinit saepe in summam ἀνορεξίαν cum tanta stomachi imbecillitate ut vires etiam concidant, principibus partibus stomacho perfrigerato condolentibus.

Quamvis quaecunque relaxant ventriculum ut edulia pinguia et oleosa famem obtundant, quia tamen causa morbi consistit in remotione causae, ut demulcenti et astringenti frigori succurratur; nihil est praestantius mero rubro, et tenuium partium. quod si pro magnitudine causae non satis calefaciat aromatum ut piperis accessione calor augeatur. materia si qua sit coniuncta ut acida pituita hiera picra sola aut cum agarico vel alio convenienti phlegmagogo removeatur.

Famem itaque soluit Meri Potus.

Proponebat Joannes De Renou Constantinas 1588.

Dni Doctores disputaturi.

M. Nicolaus Jabot praeses.
M. Antonius de Cappe.
M. Joannes Groult.
M. Simon Pietre.
M. Joannes Duret Med. et Pr. reg.
M. Georgius Cornuty.
M. Marcus Myron Cons. et prim. Med. Reg.
M. Ludovicus Cellin.
M. Guillelmus Robineau.

BIBLIOTHÈQUE